



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

74. An Vicarius Capituli Sedis vacantis possit ad libitum sine justa causa revocari ab eodem Capitulo? Et in dicto casu, an Capitulum Sede vacante teneatur tamen alium Vicarium intra octo dies ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

Vicario constituto ab Episcopo: vnde poterit Capitulum, etiam post Vicarij electionem le introfittere circa administrationem jurisdictionis, sicut poterat antea, excommunicando, dispensando: causas delegando, excommunicando approbando, &c. sicut potest Episcopus etiam post constitutionem Vicarij Probatur hanc opinio, quia à iure antiquo non est recedendum, nisi quoad expressa in nouo *1. precipimus, C. de appellat.* Sed ante Tridentinum potestas data Vicario à Capitulo Sede Vacante, non erat priuatiue ad Capitulum, sed cumlatiue: ergo idem erit post Tridentinum, cum circa hoc nihil inuouet Concilium. Minor à nemine negatur; nam mortuo Episcopo succedit ei Capitulum in omni iurisdictione ordinaria, exceptis casibus in iure expressis: ergo si ante Episcopus constituendo Vicarium, non censetur concessisse iurisdictionem Vicario priuatiue ad Episcopum sed cumlatiue: ergo idem dicendum de constitutione Vicarij facta à Capitulo Sede Vacante; nam in iure hoc non reperitur expressum. Quod verò Tridentinum nihil circa hoc innouauerit, patet ex verbis Concilij supra relatis; solum enim arctat Capitulum ad eligendum Vicarium intra octo dies à morte Episcopi; alias deuoluitur potestas deputandi illud ad Metropolitanum. Cum igitur nihil disponat circa illud, an iurisdictione data Vicario sit priuatiue ad Capitulum, an cumlatiue: censetur hic casus omittitur, ac proinde remanet in dispositione iuris antiqui *communis*, sicut de lib. & posthum. ac de iure antiquo iurisdictione data Vicario non erat priuatiue, sed cumlatiue ad Capitulum; ergo idem dicendum est stando in iure nouo Tridentini.

3. Hinc sequitur primo posse Capitulum aliquas causas alteri delegare, sicut poterat ante Tridentinum: quia non est priuatum exercitio iurisdictionis Sede Vacante, quam antea habebat, vt supra ostendi. Sequitur secundo in Vicarium à Capitulo simpliciter electum Sede Vacante non transire maiore potestatem, seu iurisdictionem, quam in Vicarium electum ab Episcopo; quare in eum non transit tota iurisdictione Capitulo competens: sed necessarium est speciale mandatum quoad ea, quæ in Vicarium Episcopi non transierunt sine speciali mandato. Vnde sequitur Vicarium Capituli Sede Vacante non posse dispensare sine speciali mandato, in casibus, in quibus Episcopus dispensat, quia nec Vicarius Episcopi id potest. Et omnia docet Metolla *tom. 3. disp. 7. c. 7. dub. 2. & seq. qui n. 272.* etiam docet non esse verum, quod dicunt aliqui Recentiores, posse quidem Capitulum in ipsa deputatione Vicarij aliqua sibi retinere, non tamen postea: nam potest Capitulum iurisdictionem Vicarij quandoeunque voluerit restringere.

RESOL. LXXIV.

An Vicarium Capituli, Sede Vacante possit ad libitum sine iusta causa reuocari ab eodem Capitulo?  
 Et in dicto casu, an Capitulum, Sede Vacante, teneatur tamen alium Vicarium intra octo dies constituere, alias ius deputandi ad Metropolitanum deuoluatur?  
 Et si ipsa fuerit Metropolitana ad antiquiorem Episcopum deuoluatur: Ex part. 3, tract. 6. & Misc. 2. Ref. 27.

In casibus frequenter potest accidere, & negatiuam sententiam aiunt rescipisse factam Cardinalium Congregationem, & illam docet Tom. 111.

Franciscus Zypæus in *Analytica iuris Canonici lib. 3. tit. de Sede Vacante, n. 4.* Quaranta in *summa Bullar. ver. capitulum Sede Vacante, q. 12. n. 3.* & alij. Et ratio est, quia reuocare aliquem ab officio est maxima potestas, *et 1. 2. ff. de offic. procur.* Cæteras rationes adducit Quaranta.

2. Non desinam tamen hic adnotare affirmatiuam sententiam docere Azorium *tom. 2. lib. 3. cap. 38. quæst. 18.* & Aloysium Riecium in *praxi, tom. 1. ref. 505. n. 4.* & Galettum *Margarita casuum conscientie, ver. Vicarius, n. 5.* vbi ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem testatur. Igitur secundum hanc sententiam potest Vicarius Capitularis ad libitum Capituli amoueri, tenetur tamen Capitulum alium Vicarium intra octo dies constituere, alias ius deputandi ad Metropolitanum deuoluatur, & si ipsa fuerit Metropolitana, ad antiquiorem Episcopum deuoluatur. Ita D. D. citati.

Sup. his seq. in fine §. sed Ref. not. præteritis.

RESOL. LXXV.

An Capitulum Sede Vacante possit ad libitum Vicarium amouere?  
 Et quid, si in nominatione dictum fuisse, quod possit reuocari, quoties Capitulo visum fuisse?  
 Et quid est dicendum, si iuramentum interpositum fuisse de non reuocando.  
 Et in dicto casu, an Capitulum Sede Vacante teneatur alium Vicarium intra octo dies constituere, alias ius deputandi ad Metropolitanum deuoluatur, & si ipsa fuerit Metropolitana ad antiquiorem Episcopum deuoluatur?  
 Et an Capitulum teneatur ad aliquod interesse restituendum, si Vicarium absque iusta causa remaneat? Ex p. 8. tract. 4. Refol. 63.

§. 1. Difficilis, & quotidiana quæstio, & quia illam ad partes tractat Ioannes Solorzano de *Indiarum iure, tom. 2. lib. 3. cap. 13. num. 55.* apponam per extensum eius verba; sic itaque asserit. Hic aliam quæstionem satis vtilem, & quotidie contingentem subnectemus, nimirum, vtrum Vicarius semel à Capitulo nominatus ab eodem ad libitum reuocari possit: Quam quidem quæstionem Lima etiam de facto habuit in Sede Vacante Dom. Archiepiscop. D. Bartholomæi Lobo Guerrero. Et omittis his, quæ de Vicario electo ab Episcopo dixi supra c. 8. num. 48. & seq. In nominato à Capitulo (de quo agimus) dicendum prima facie videtur, quod reuocari non possit, quia eius electio, etsi à Capitulo fiat, sit tamen in executionem, & implementum præcepti Concilij Trident. *d. sess. 24. cap. 16.* Vnde Vgolinus, relatus à Suarez *tom. 5. de censur. disp. 7. sect. 3. n. 13.* & Garcia *dicto c. 7. n. 25.* docuit, eius iurisdictionem à lege, vel canone dependere quod & insinuat Thomas Sanchez de *matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 29. n. 4.* & Marc. Anton. Genuen. in *praxi Archiepiscop. Neapol. c. 84. seu. 86. n. 4.* agnoscens, post Concilium, hanc remotionem difficiliorem esse: nam in Collegio (inquit) Ecclesiastico, quando tenetur aliquem eligere, improbari à iure mutatio, vel variatio sine causa. Et idem expressè sequitur Quaranta *d. verb. Capitulum Sede Vacante, n. 3.* adducens aliam rationem; nimirum, quod si Canonici prohibito suæ voluntatis possent auferre Vicario commissionem ei factam, sequeretur absurdum, scilicet quod ipse Vicarius segniter se haberet in administranda iustitia in Canonicos particulares, vel in dependentes ab eis. Quos, & alios Auctores, in hanc opinionem inclinans, refert Nicol. Garcia, omnino videndus

Sup. hoc in Ref. præteritis.